SIMONIS PISTORII OPPOLIENSIS SILESII,

Epigrammatum Octernio decimusseptimus,

Magnifico ac Generoso Viro

D. CHRISTOPHORO
à Szumki
WISZOWATIO,
Domino & fautori suo colendo,

dedicatus.

Ad Lectorem.

Editus est à me fors ultimus iste libellus,
Hunc quoque, si meruit, Lector amande, lege.

Nobili stemmate claro, & pietate insigni Viro,

D. CHRISTOPHORO WISZOWATIO

S. P.

OCTERNIONE isto, quem sub tuo nomine Magnifice Dn. typis divulgare volui, omnibus testatum facere cupio, ad quoscunque ille pervenerit, quàm pro tua fama & gloria ad plurimos promulganda, augendaq; ac conservanda, ingenii mei vires libentissimè contribuere vellem, modò essent ejusmodi, ut in hoc genere aliquid præstare possent. Dignus enim es, ut pro tua singulari, quà polles erga omnes, inprimis autem domesticos fidei, humanitate unicè & ameris & celebreris ab omnibus, & maxime ab iis, qui te norûnt, & beneficentiam tuam experti sunt. Accipe igitur nunc à me hoc quicquid est muneris chartacei, eo oculo, quo meipsum ad te adventantem excipere soles, ac me tui observantem amare nunquam desine.

S. P. O.

Ad Nobilem & Generosum Virum
D. CHRISTOPHORVM WISZOVATIVM.

PRæcipuos inter minimè postreme Scholarcha,
Christophore, Aönii portio digna Chori,
Ad varios conscripta Viros Epigrammata nuper,
Mens est Patrono nostra dicare tibi.
Testatum ut faciam, quàm sit meus igneus in te,
Promptus ad obsequium, quo retinetur, amor.
Accipe non aliâ, quàm quâ tibi fronte dicantur,
Cumq; ipso Authorem Carmine semper ama.

Incomparabilis Viri D. Fausti Socini anagramma.
FAVSTVS SOCINVS SENENSIS.
ô sis unus fastus nesciens!

Omen habet nomen, docet hoc Anagramma Socini;
Conveniunt rebus nomina sæpè suis.
Hunc fata a pueris designavisse videntur
Ad tantum quod Vir posteà gessit onus.
Nescius ut fastûs esset de pluribus unus,
Neglectâ generis Nobilitate sui,
Qui se Evangelio totum sacrisq; dicaret,
Et verâ imbueret cognitione Dei.
Is verò tantum studio profecit in isto,
Haut adeò longo tempore, dante Deo,
Vt sic Theologos, arcanorumq; peritos
Emineat, ceu sol eminet astra nitens.
Quoscunq; errores invexit prisca vetustas,
Illos judicio sustulit ille gravi.
Quicquid salvifici Veri sacra pagina Christi
Continet, è tenebris protulit ille palàm.

Ostendit credenda, simul facienda, deinde
Plurima, Mortales quæ latuêre priùs.
Istis instructus, Patriaq; bonisq; relictis,
Multa salutavit Regna, gravesq; Viros.
Cum quibus & Scriptis & verbis multa locutus
De verâ CHRISTI *cognitione fuit.*
Donec in has venit partes; ubi repperit ille
Multa salutiferam corda professa fidem.
A nebulis ubi Relligio purgata vigebat
Ex parte, pietas non simulata fuit.
Hîc sibi delegit sedem; mala plurima passus,
Hâc egit reliquos in Regione dies.
Nec veniens isthuc trivit sua tempora frustrà,
Aut inter fratres desidiosus erat.
Verùm operæ multúm posuit, multúm ille laboris
In depuranda Relligione Dei.
Noverat Ausonium, noratq; idioma Pelasgum,
Hebrææ lingvæ gnarus & ille fuit.
Hinc potuit CHRISTI *dictorum exponere mentem,*
Et potuit Verbi sensa videre Dei.
Primus monstravit veræ argumenta Salutis,
Et docuit vitæ quale perennis iter.
Multaq; Scripturæ vidit mysteria sacræ,
Complexus Libris quæ fuit ille suis.
Et licet his fuerat donis illustris & ortu,
Omnis at ipse expers ambitionis erat.
In Cætu CHRISTI, *quem spernit Mundus & odit,*
In vero ad summum vixit amore diem.
Multa reliquit humi, lectu dignissima Scripta,
Ejus in Astra abiit Spiritus, unde fuit.

Ad Magnificum & Generoſum Virum D. ANDREAM a Moſcorovv MOSCOROVIUM.

O quem te memorem, raræ Virtutis honore,
Et rarâ inſignem nobilitate Virum!
Artibus ingenuis, ANDREA*, exculte, diſerto*
Eloquii manat cujus ab ore lepos.
Tu caræ gratus Patriæ ſua præmia reddis,
Illius fluxis invigilando bonis.
Conſiliis ades huic, & promptæ munere linguæ,
Quando conſiliis indiget illa tuis.
Tu ſanctæ reddis CHRISTI *ſua præmia Sponſæ,*
Illius veris invigilando bonis.
Auxiliis ades huic, & largæ munere linguæ,
Si quando auxiliis indiget illa tuis.
Tu fidis operam præſtas, & ſervis Amicis,
Quosq; tibi fidei fœdere junxit amor.
Et mihi tàm facilem, Patrone, ac poſt mea fata
Te rebus præbe, pignoribusq; meis.

Anagramma nominis ejusdem.
ANDREAS MOSCOROVIUS.
O Muſa, decorans Viros!

DIgna coli a cunctis, ô Muſa, & ſemper amari,
A qua donorum profluit omne decus!
Tu miſeros opibus, viles & honoribus auges,
Tu laudem pulchræ nobilitatis alis.
Tu memorem extendis per plurima ſecula famam,
Tu probibes unquam nomina clara mori.
Deniq; digna tui ſtudioſis præmia præſtas,
Innumerâ decorans commoditate Viros.

Ad Mag. & Generosum Virum D. CHRISTOPHORUM MORSTINIUM.

CHRISTOPHORE, *æternæ* CHRISTI *dignissime Legis*
Cultor, Christiadum normaq; pulchra Chori.
Qui Mundo valedicto, ejusq; cupidine spretâ,
Verâ illustratus cognitione Dei,
Postquam sponte manum CHRISTOq;, *Gregiq; dedisti,*
Iam velle in sancta te pietate mori;
Semper eras viridi virtutis amator ab ævo,
Ad seros, quos nunc exigis usq;, dies.
Nemo ad danda Deo fuerat præconia laudum,
Ad captanda Dei dogmata nemo prior.
In stipe spargenda te nemo largior ipso,
In cunctos tantus candor, amorq; tuus.
Imprimis fratrum te nullus amantior alter,
Pro quorum haut renuis nempè salute mori.
Ac quam sustuleras, bina de conjuge, prolem,
Quæ non est sortis pauca utriusq; tibi;
Pervigili studio, magnis & sumptibus illam,
Cura tibi a teneris erudiisse fuit.
Hinc exculta nitet pietate, hinc omnis ad unam
Et Veri, & summi fervet amore Dei.
Vive ferax Soboles, magnum Laris incrementum,
Ad CHRISTI, *ad Patriæ, seminis atq; decus.*
Et tu magne Pater, tantæq; propaginis author,
Abs socia vitam qui modò solus agis,
Liber ab ærumnis, & morbo liber ab omni,
Innumeros felix continuato dies.
Hoc senium vivax, hæc sit tibi cruda senectus,
Vt numeres Pylii secula longa Ducis.

Anagramma ejusdem.

CHRISTOPHORUS MORSTEEINNIUS

Servus CHRISTI, *mori non potes.*

addito H.

STat sua cuiq; dies moriendi, ignota sed illa est
Omnibus; intereunt tempore cuncta suo.
Differitas tamen est mortalia pectora circa,
Post fata haut omnes sors manet una Viros.
Non mors, jucundus verùm sopor occupat illos,
Quos hîc cum CHSISTO *copulat arcta fides.*
Ast hos dira manent æternæ funera noctis,
Qui CHRISTO *veram non habuêre fidem.*
Te manet alma quies, MORSTINI, *funere raptum,*
In CHRISTUM *cujus non dubitata fides.*
Ipsus ad æternæ revocandum munera vitæ
Cùm veniet fato corpora functa suo;
Te quoq; ad æternæ revocabit lumina vitæ,
Et trahet ad Regni gaudia vera sui.
Sola salus CHRISTO *servire: hoc ducit ad Astra;*
Hoc extra cunctos devius error agit.
Qui servus CHRISTI *es,* CHRISTI *mandataq; servas,*
Post mortem æternâ morte perire nequis.

Ad Nobilem & Reverendum Virum D. IONAM SZLICHTINGIUM.

SCripta refutando Meisneri grande petentis
Totius nostræ Relligionis Opus,
Rem facis egregiam, IONA; *nam totius ejus*
Tu potiùs jugulum dogmatis ipse petis.
Magna est vis Veri, documentaq; cælica CHRISTI
Ardua Relligio, quam profitemur, habet.

Arjetibus nullis, nulla de sede moveri
Illa Sophistarum fraude, vel arte, potest.
Qui legis hæc, caußam Lector discerne perite,
Palmaq; cui meritò sit tribuenda vide.

Ad Mag. & Gen. D. STEPHANUM WOINAROVIUM a Woinarovv.

R*Ex inter fratres, tædas exose jugales,*
Tu qui Latonæ castra pudica colis,
Cùm sis a nobis toto, STEPHANE, *orbe remotus,*
Nec procul a Scythico vivis, amice, solo.
Iam dudùm mihi vise, tui memor esne Simonis,
Inscriptum qui te pectore semper habet?
Sic reor, unius fidei quos copulat ardor,
Immemorem fratris non sinit eße sui.
Nulla capedo loci, nec, si post funera sensus,
Conjunctos animos mors separare potest,
Corpore disjuncti, fidei sed glutine juncti,
Vni fidamus semper ubiq; Deo.
Vt nos a nobis hîc dividat ultimus Orbis,
Nos nunquam a nobis dividat acer amor.

Ad Nobilem Virum D. IOHANNEM STOINIUM, iter in Wolhiniam adornantem.

IANE, *Deo comitante, revise Wolhinia rura,*
Et refice adventu plurima corda tuo.
Est tibi CHRISTOPHORUS, PETRUSq; *Stoinius ambo*
Rarus amorq; tuus, delitiumq; tuum.
Sunt REINOVITI *fratres, tua cura, Ministri,*
Et TWARDOCHLEBUS *vir pietate gravis.*

Est NEMERICZ, *sunt* CZAPLICII, SIENIUTA, *Patroni,*
Et multi insignes nobilitate Viri.
Deniq; fidentûm CHRISTO, *tibi nota,* STOINI,
Cetera multa virûm non numeranda seges.
Isthæc turba hominum dudum desiderat omnis,
Eloquioq; tuo, colloquioq; frui.
O adsit tibi Nestoreæ facundia linguæ,
Et fluat Hyblæo gratia ab ore tuo.
Instrue, IANE, *rudes, sacris magis excole doctos*
Rebus, & infirmos constabilire stude.
Non secus ac quondam doctâ Rhodopejus Orpheus
Ad se pertraxit saxa, ferasq; lyrâ;
Sic quoq; tu veniens mortalia dura STOINI
Ad CHRISTUM *eloquii pectora melle trahe.*

Anagramma nominis ejus.
IOHANNES STOINIUS Pastor Cœtus Dei.
Sto in Sione, ovi par, jus docens, state.

IN *sancta fidus* CHRISTI *sto, Præco Sione,*
Ius voce elatâ verbaq; sancta docens.
State Viri, nec vos clamor deterreat oris,
Clamor inest ori, spiritus intus ovis.
Instar IOVA *tubæ me crimina prodere vestra,*
Iusq; suum grandi voce tonare jubet.
O tales comes Iuris Verbiq; peritos
Præcones Populo suffice, CHRISTE, *tuo!*

Ad Generosum Virum D. CHRISTOPHORUM WISZOVATIUM.

V*Era tui Soboles, ipsissima Patris imago,*
Laudes cujus adhuc nomen, honosq; manent,

Te Virtutis amor stimulat, tibi gloria CHRISTI
Curæ, CHRISTOPHORE, *est,& veneranda salus.*
Huic studio incumbens, istis juvenilibus annis,
Nulli operæ, nulli parcis, Amice, rei.
Talis in incepto si perstas sedulus isto,
Nec pius ad summum desinis esse diem;
Te manet hîc recti mens conscia, certa futuri
Spes immortalis perpetuiq; boni.
Posteà cùm postrema dies illuxerit Orbi,
In CHRISTI *capies gaudia summa sinu.*

Ad Nobilem ac Reverendum Virum D. CHRISTOPHORUM LUBIENECIUM.

IN *Patre & Patruis zelosus qui fuit antè*
CHRISTOPHORE, *est in te spiritus ille Dei.*
Nam sive e Cathedra proponis dogmata CHRISTI,
Igneus es totus, flammea lingva tua est.
Seu de divinis cum sævis hostibus unquam
Disseris, apparet spiritus ille tuus.
Seu tibi judicium de rebus fortè ferendum est,
Promptus consilio es, promptus & eloquio,
Si nobis plures Ecclesia nostra tulisset
Tales Præcones, eximiosq; viros;
Plures ad nostras venissent candide partes
CHRISTOPHORE, *& fratrum maximus ordo foret.*
Zelo conspicuos, & sacro flamine plenos
Pastores Populo suffice, CHRISTE, *tuo.*
Ut multi e tenebris ad Cœtus limina pergant,
Lucem Evangelii conspiciantq; tui.

Ad D. IOHANNEM STOINIUM.

ADversus CHRISTI *conspirant cuncta fideles,*
In nostram vergunt omnia, IANE, *necem.*
Hostes tot coëunt, quot sunt in vertice crines,
Aut quot somniferum grana papaver habet.
Omnes consilio, metuendi viribus omnes,
Consimiles studiis; moribus, arte, pares.
Quò se vertendum tanto in discrimine censes,
Aut quid agendum aliud, IANE *diserte, putas?*
Fidendum CHRISTO, *votis, precibusq́; vacandum,*
Ac peragenda sacri Muneris officia.
Sic horum in fumos omnis conatus abibit,
Et feriet nostrum nulla ruina caput
Non, si illabatur perfracto cardine Cælum,
Terreat hos, CHRISTI *quos pius ardor agit.*

Ad Virum opt. & Symmistam suum Cariss. D. PAULUM REINOVICIUM.

NUllos eße Deos, affirmat inania quidam
Astra, & se faustum, dùm negat ista, probat.
Namq; metu liber, committit fanda nefanda,
Laxando vitiis libera fræna suis.
At cùm justa Dei pœnas vindicta reposcet,
Et premet invisum digna procella caput,
Quò se vertendum talem, tu PAULE, *putabis?*
Ad quem compulsus vota, precesq́; feret?
Qui negat eße Deum demens, & crimina patrat,
Vltorem infelix sentiet ille Deum!

Viro Nobili D. THOMÆ PISECIO, Affini suo, in librum de origine Trinitatis.

Quæ tot de Triadis moliris origine ab annis,
Cur sinis, Affinis, Scripta latere domi?
Iam tandem lucem videant, sitibundus ut illa
Aspiciat Lector, nec sine fruge legat.
Erroris tanti, qui totum fascinat Orbem,
A multoq; ævo cujus origo venit.
Et caput, & fibras omnes præcide, Piseci,
Vni quò constet gloria vera Deo.

Ad eundem gravi morbo conflictantem.

ME tua sollicitum reddit valetudo, PISECI,
Quæ caput & sensus concutit ægra tuos.
Hinc simul ad vitæ te munia reddit ineptum,
Nec te Scriptorem tàm sinit esse bonum.
Et nisi quàmprimùm morbo releveris ab isto,
Ante heu! fatalem tu moriêre diem.
Cui tua, CHRISTE, *tuiq; Patris cui gloria curæ,*
Atq; hominum curæ est cui veneranda salus,
Ægro pelle tui morbum de corpore Servi,
Compleat ut vitæ tempora longa suæ.

Viro Nobili & Theologo Insigni, IONÆ SZLICHTINGIO.

Astra, Deumq; tuo qui concipis, optime IONA,
Pectore, quàm felix est tua conditio!
Nam vel sacra legis, facundæ munere lingvæ
Sparsurus summi dogmata pura Dei.
Vel tecta explanas sancti mysteria Verbi,
Quæ legat ignarus, doctior & redeat.
Vel precibus, castisq; vocas pia Numina votis,
Propitia ut semper sint tibi, sintq; Gregi.

Vel

Vel res decidis dubias, & tetrica prudens
Concilias fratrum pectora, pacis amans.
Vel Cœtus alios, quorum tibi tradita cura,
Adventu reficis, lætificasq; tuo.
Deniq; quicquid agis, sacrum est hoc omne, piumq;
Divinum spirant cuncta Ministerium.
Astra, Deumq; tuo qui concipis, optime IONA,
Pectore, quàm felix est tua conditio!

Reverendo Viro, D. IOHANNI MOSCHOVIO, Pannonio, Robcoviensi Ministro, cùm in Patria veritatis causâ in carcerem conjectus esset.

QVando revisurus patriam, carosq; propinquos,
Dulcia securus Pannoniis arva petis,
Atque ibi dum confers de relligione rogatus
Et donas notis scripta legenda tuis.
Iu quibus est veræ ratio comprensa salutis,
Per CHRISTUM *nobis quæ patefacta fuit.*
Eheu! a retrò sed postea tempore longo
Hæc hominum vitio jam cooperta fuit.
Hîc circumventus notorum fraude, tuarum
Iacturam rerum, IANE, *repentè facis.*
Ipseq; comprensus perversi more latronis,
Vinclis injectis compedibusq; datis,
Duceris ad mœstas per vicos carceris ædes,
Vinctus ubi ad palum somnia pauca capis.
Post ad consilium ductus, curante Dynastâ,
Plurima perpessus dum graviora fores,
Nullius erroris convictus, rursus eundem
Carceris ad fœdi tu revocâre statum.

Donec qui missi fuerant ex agmine cœtus,
Hinc te præsidiis asseruêre suis.
Hæc Evangelii sors est, hæc præmia veri:
Exilium, carcer, vincula, probra, cruces.
Omnia cùm liceant, non est ea dicere tutum,
Quæ sunt in verbi codice scripta Dei.
Te verò æratam qui pro pietate tulisti,
Aurea post mortem, IANE, catena manet.

Generoso Viro D. CHRISTOPHORO WISZOVVATIO.

TAnta tua est bonitas, bona WISZOVVATIA *proles,*
CHRISTOPHORE, *& recti tanta cupido tibi.*
Multi conveniunt ad te, qui rebus in arctis
Optatum auxilium, consiliumvé petunt.
Omnibus es facilis, cunctis tu rebus in arctis
Promptus es auxilium, consiliumvé dare.
Sint licèt ingrati quidam, immemoresq́ bonorum,
Tu tamen haud unquam desinis esse bonus.
Tum nulli ad placitum quicquam discedis ab æquo,
Ante tuos oculos est tibi sancta Themis.
Ardua res hæc est, mutatis moribus Orbis,
Non mutare suos, sed retinere, bonos.

Ad Magnif. Virum D. ANDREAM MOSCOROVIUM, cùm ex Comitiis expectaretur.

SI desiderium fratrum, si vota tuorum
Respicis, ô CHRISTI *gloria magna Gregis!*
De tanto, ANDREA, *Conventu reddere nobis,*
Inq́ domum celebri salvus ab Vrbe redi.
Scire animus gestit, quinam moliminis hujus
Exitus, & quæ nos fata futura manent.

Det Deus, hæc in nos post tanta minacia verba,
Et post magnatum fulmina tanta virûm.
Sic ad nos redeat pax præstantissima rerum,
Vt sol depulsâ nube redire solet.

Ad D. IOHANNEM STOINIUM.

ELoquii cùm sit tibi copia tanta, STOINI,
Eloquio pietas nec minor ipsa tuo.
Quò te cunque vocant, & ubi tibi contigit esse,
Hoc utroque modo, nam potes, ædifica.
Felix utroque es, non contigit omnibus istud;
Rarò est eloquium cum pietate simul.

Ad THOMAM PISECIUM, cùm ex morbo convaluisset.

SÆpiùs ex imo pro te suspiria duxi
Pectore, cùm fractus viribus æger eras.
Ista bonum tetigêre Deum suspiria, THOMA,
En nobis firmo corpore salvus ades.
Exsilio, & posito capio nova gaudia luctu,
Ac tàm propitio do bona verba Deo.
Tu quoque qui pulso tanto languore, PISECI,
Es factus rursus sanus, ut antè benè;
Redde Deo grates, & quos à pluribus annis
Scripsisti libros, continuare stude.
Assere divinam laudem, quam Dæmon ab ipsis
Principiis ausus contaminare fuit.

Magnifico & Generoso Viro D. IOHANNI à MOSCOROVV MOSCOROVIO.

ECquando nostras optate redibis in oras,
Clarum militiæ, IANE, *togæq; decus?*

Tempus erat jam te patris succedere rebus,
Et colere hæredis dulcia rura soli.
Tempus erat fœtas agri decerpere messes,
Horrea proventu plena fovere suo.
Tempus erat gratas cum virgine jungere dextras,
Quæ tibi legitimi fœdere juncta thori.
Denique tempus erat mundo, studiisq; relictis
Illius (his tantum te tribuisse satis)
Cultus ubi pius est, ubi sunt commercia fratrum,
Ad patris æterni tecta redire tui.
Rumpe moras igitur reditum nec differ in annos,
Si tibi, IANE, *Dei, si tibi cura tui.*

Nobilibus Viris, DD. STOINIIS, CHRISTOPHORO & PETRO, fratribus germanis.

CHRISTOPHORE, *eximio* PETRO *cum fratre*, STOINI,
Quos mihi conjunxit Munus, & una Fides.
Este mei memores, arcet quem corpore tantùm,
Non animo, à vobis tanta capedo loci.
Et quod jamdudum peto, Mecænate favente,
Inter vos nobis quæso parate locum.
Nescio quod fatum propiùs conjungere vobis
Suadet, & in vestris nos habitare focis.
Inveniet fortasse viam, CHRISTUSQUE *vocatus*
Prospiciet nobis de meliore statu.
In quo non solùm fructus, alimentaq; digna,
Verùm lignorum sit quoque multa strues.
Nam natura suo jam deficiente calore,
Quàm dapibus multis indiget igne magis.
In cœtu ô fas sit, sub Mecænatis amantis
Summa patrocinio claudere fata mihi.

Ad Nobilem & reverendum Virum D. CHRISTOPHORUM RUDNICIUM Ministrum.

IN nos RUDNICI, *conspiravêre tot hostes,*
Quorum vix numerum fortè referre queas.
Unum cor nobis, una illis cura nocendi,
Immò tollendi mens erat è medio.
Tanto conatu, tanto molimine cœpta,
Ducere ad umbilicum concupiêre suum.
Spes evadendi non esset ut ulla, sed esset
Inter contribules magnus ubique metus.
Sed cui nostra salus, & cui sua gloria curæ,
CHRISTUS, *amans populi Rexq́ caputq́ sui,*
Non ex difficili fecit conamina tanta
Irrita: pax mansit, sicut & antè fuit.
Qui nos è tanto solvit discrimine, CHRISTO
Gloria, RUDNICI, *persoluenda venit.*
Postea quicquid erit, totus ruat orbis & orcus,
Est illi cuncto tempore danda fides.

Ad Nobilem & pietate, doctrinaq; præstantissimum Iuvenem, ANDREAM WISZOVVATIUM SS. Theologiæ studiosum.

ANDREA, *non est operæ scopus omnibus idem,*
Qui Musas curâ fervidiore colunt.
Sunt qui venantur titulos, & nomina clara,
Laudibus efferri qui super astra volunt.
Sunt qui divitias captant, & munera Crœsi,
Quæ malefida cohors nocte dieq́; petit.

Sunt qui primatu, præfecturisq; potiri
Quiq; à consiliis regibus eße student.
Non idem cunctis animus, non una voluntas,
Ad sua quemque ardens vota libido trahit.
Quàm sapis, ANDREA*! studiorum sola tuorum,*
Cui Deus, & veræ meta salutis opus.
Qui tot sudores, tot curas, totq; labores,
Pieridum sacris invigilando choris,
Confers ad summum divinæ laudis honorem,
Ad regni augmentum spirituale Dei.
Scandere quàm nitido sublime cacumen in orbe
Mavis dogma pius Præco sonare Dei.
Cautus es ANDREA*! bona namq; fugacia captant,*
Et parvo reliqui scilicet ære merent.
Tu capies hujus pietatis præmia cœlum,
Æternùm in CHRISTI *sede beatus eris.*

D. ADAMO MALESIO, Concionatori Tarnomontano Amico suo.

IN *re tam magna, tanta est insania Mundi,*
Vult dilecte suo decipi, ADAME*, malo.*
Publica deseritur via, quam commonstrat IESUS*,*
Quam sacra calcando venit ad astra prior.
Munde pedem revoca! hac iter est, præcedat IESUS*,*
Hunc sequere, hac solâ hinc itur ad astra viâ.
Peccatis valedic; virtutum sedulus esto
Cultor, ad extremæ funera dira necis.
Hanc quia tu monstras, voce & paradigmate vitæ,
Te manet in summo gratia, ADAME*, Polo.*

Ad quendam, cùm in numerum Ecclesiæ recipereretur.

Tu, cui notitiam licuit contingere Veri,
Inq; sacra CHRISTI *contigit eße Domo;*
Vive Deo, sanctè totis utare diebus,
Corde Dei memori verba sacrata notans.
Felix qui vigilat, votis Dominumq; fatigat,
Extremum reputans semper adeße diem!

Pietate & eruditione prædito Viro, D. STEPHANO TOLDI.

Quàm felix STEPHANE, *es, nobis manifesta dedisti*
Invictæ fidei qui documenta tuæ.
Non secus ac aurum spectatur in ignibus, arctis
Rebus spectata est & tua viva fides.
Nec validæ pedicæ, nec ferrea nexa catena,
Arcere à vera te potuêre fide.
In fundum dejectus eras, foßamq; profundam;
Vnde tuæ vires, & violata salus.
Fluxa salus violata tua est, sed restat olympo
Promißa à CHRISTO *non peritura salus.*
Nomine pro CHRISTI *vitam qui perdit, eandem*
Inveniet summo proveniente die.
Res est magna, cui donatum est fidere CHRISTO,
Major pro CHRISTI *nomine cuncta pati!*

Ad Reverendum & vera pietate præditum Virum D. MICHAELEM GITTICHIUM VENETIANUM, symmistam cariſſimum.

Quòd toties hostes, & quòd conamine tanto
In nostrum insurgant, ô MICHAELE, *Gregem.*

Non est de nihilo; vix sunt suscepta futura
Hæc vana; infaustum forsitan omen habent.
Quàm metuo, CHRISTO *ne permittente (quod absit)*
Nos patrio pellant, ejiciantq; solo.
Quàm metuo, ne jam regnis hæc occidat istis
Lux Evangelii, quæ patefacta fuit.
Caußa, quòd illius (quod scis) memorabilis olim
Sistitur heu! cursus, regrediturq; ferè.
Nemo externorum vel rarus in atria Templi,
Auribus hausturus dogmata sancta venit.
Nemo legit, vel sacrarum mysteria rerum
Noße cupit; deses cuncta veternus habet.
Immò ad divinam claudunt sua lumina lucem;
Obdurant animos ad sacra dicta suos.
Nos quoque quid prodest totis audire diebus
Ex adytis summi verba profecta Dei.
Si dignam CHRISTO *vitam non degimus, & si*
Non magis inter nos mutuus ardet amor.
Si quoque de tanto fervore remisimus omnes,
Qui priùs in sancta relligione fuit.
Si tantus luxus, si tanta licentia morum
In CHRISTI *apparet, conspiciturq; Domo.*
Si nostram instruimus, carissima pignora, prolem
Ad Martis potiùs quàm pietatis opus.
Si mißam impuri varia ad servitia mundi
Perdimus, & Sathanæ mancipium facimus.
Et quis tot vitia enumeret, quis denique nostrûm
Scandala comprendat lemmate cuncta brevi?
Ex his præmissis quis non concludere poßit,
Quem metuo eventum, VENETIANE, *malum.*

Cui tua, CHRISTE *potens, est summæ Ecclesia curæ,*
Quam fuso nactam sanguine semper amas,
Imbue divino Præcones numine verbi,
Hoc calefac cœtus frigida corda tui.
Ad facienda tuus nos entheus excitet ardor
Munia, & ad laudum munera danda tibi.
Ac, si vota aliquid poßunt indigna, precamur,
Inde movere tuum ne patiâre Gregem.

AUTHOR de suo matrimoniali & viduo statu.

C*Ontigerat conjux mihi prima* PISECIA, *honesto*
Nata loco,nomen cui CATHARINA *fuit.*
Octo ubi fœmineæ peperißet pignora sortis,
In CZARNKOVV *fato functa,sepulta jacet.*
Altera digna,& mî succeßerat utilis uxor,
Quæ vidua urbanæ conditionis erat,
Tres, REGINA, *mares,totidemq́ enixa puellas,*
Funere functa,ibidem contumulata cubat.
Tertia nobilium sata stemmate,nomine dicta
FAUSTA, *sed infausto sidere,nupta mihi est.*
Nam nondum ternos mecum compleverat annos,
Dum cadit,atque illic flebilis umbra jacet.
Quod reliquum est vitæ (seu vis cum compare, seu vis
Me Deus in viduo consenuiße thoro.)
Ad nutus dispone tuos; contingat amanter
Saltem inter fratres claudere fata meos.
Et quoniam mihi tu tot pignora cara dedisti
Solamen vitæ,delitiumq́ meum;
Quæ jam cuncta fide Domino sunt insita CHRISTO,
Et vitæ integræ quæ pia cura tenet;

Hæc curæ commendo tuæ, rege numine cuncta,
(Seu mihi contingat vivere, sive minus.)
CHRISTE, *tuis Natæ jam tres nupſêre Miniſtris,*
Quarta GORIS ZOVI *pharmacopola tibi.*
Maturæq; Viris, natarum ex ordine reſtant
Quatuor, impubes filioliq; duo.
(Tres etenim jam ſunt ſupremo funere merſæ,
Filioluſq; unus concidit ante diem.)
His quoque de reliquis divinâ proſpice curâ:
Iſti ſint cœtus organa digna tui.

Ad reverendum Virum D. IOHANNEM STOINIUM, pro iterando conjugio ſuo.

VNâ, IANE, *pari cum conjuge ducere vitam*
Qui potuit, totos & tolerare dies,
Hunc ego felices inter numerabo Maritos,
Huic ego propitium ſuſpicor eſſe Deum.
Me verò inſauſtum, tædas iterare jugales,
Conſortem cogor quærere quiq; novam.
Quis ſcit an hæc talis ſit deinde futura fidelis,
Defunctæ quales antè fuêre mihi?
Quis ſcit an hæc morem mihi ſit geſtura, meoſq;
An ſit amatura, & fida ſit oeconoma?
Sed quoniam rurſus facere hoc me, IANE, *neceſſe eſt;*
Hæc alea, ut perhibent, eſt jacienda mihi.
Non quòd me ſtimulet Veneris veſana libido;
Sit procul à nobis hic juvenilis amor.
Cum qua conſvevi ſed quòd ſine compare, ſolum
Me tædet reliquos continuare dies.
Et quòd ſi quando, certè mea ſerior ætas,
Sæpiùs auxiliis indiget illa ſuis.

Succedent morbi, ſuccedet cana ſenectus,
Æthnæ quæ gravior dicitur eſſe jugo.
Adde, quòd incumbet res fortè domeſtica curæ,
Quod vix ſuſtineo munere depoſito.
Quis mihi ferret opem, tanto in molimine rerum,
Auxiliatrices porrigeretq́; manus?
Hæ mihi ſunt cauſſæ repetendi fœdera lecti,
Hæ me compellunt ad ſociale jugum.
Nec metuo infauſti conſortia vincla cubilis,
Aut durum fore jus hoc geniale puto.
Tu modò propitium mihi, IANE, *precare tonantem,*
Et ſociam thalami tu mihi quære parem.